

Q. K. 127, 25.

(X2000320)

Wh  
50

D. F. N.  
DE

21.

# COMITIBUS

*in genere,*

&

*in specie*

DE

## SCHVARTZBURGI- CIS E QUATUOR-VIRIS

S. R. J.

DISSERTATIO,

*Quam*

Sub præsidio

VIRI

*Clarissimi atq; Excellentissimi,*

Dn. JOHANNIS ERNESTI

GERHARDI, M. Historiarum in Academ.

Salanâ Profess. Publ. Patroni, Præceptoris & Patruelis  
sui multis nominibus æviternum suspiciendi,

*Ad amicam σοφιλολογίαν*

*Publicè proponit*

M. JOHANNES HOFFMANNUS,

Arnstetensis,

H. L. 2 C.

*Ad diem 16. Junii.*

J E N Æ,

Chaarctere SENGENVV ALDIANO.

M DC. LII.





51.

COMITIBUS

SCHWARZBURG  
GRAB QUANTOR VIKIS

DR. JOHANNES BRUNNEN

M. JOHANNES HOFMANN







באלהים

**S**citum est, egregium est atq; veritati consentaneum maximè, quod flos ille sermonis Romani C. *Plinius Secundus* (a) habet: *ita, inqviens, naturâ comparatū est, ut proximorum incuriosi longinqva sectemur.* Etenim quis est, qui non, si paullulum modò accesserit ætatis, patriis relictis Laribus, extera perlustrare loca desideret? imò qui non peregrinis intentus rebus, sua, quæ & ipsa admiratione forsan non indigna, mirari desinat? Nec mirum; nemo enim adeò lapis aut frutex, quem non amœna ista variaq; gentium, urbiū atq; locorum aspectio titillet ac flectat. Verùm non lōginqviores solùm inspiciendæ regiones sunt, sed & propiores, etiam illæ, quæ nobis dederunt vitam; cum *nulla adeò felix sit regio, quæ felicissima omnia includat ingenia, quin sparsa illa.* Et Deo ita prudentissimè dispensante, *sua cuiq; terra velut gemmula quæ illustret, ceu egregiè Belgii sui lumen, Lipsius* (b) loquitur. *neq; ulla provincia est, ut suprà laudatus noster Plinius* (c) *verissimè dicit, quæ non peritos, & ingeniosos, addo ego præclaros & insignes, homines habeat.* Agedum itaq; irrumpamus nostram quoq; terram, ibiq; aliquid consideratu dignum nec injucundum excerpamus: Heroës nimirum tum genere tum virtute splendidissimos, PERILLUSTRES SCHWARTZBURGICOS intelligimus COMITES

A 2

in

---

(a) lib. 8. ep. 20. (b) ep. 22. *Cent. 1. Misc.* (c) l. 10. e. 49.



in medium producere inq; Generosissimam Illorum  
 familiam atq; dignitatem, pro ingenii modulo, inqvi-  
 rere mens animi nobis est. Quò v. eò meliùs à nobis id  
 præstari possit, de *COMITIBUS in genere* paucula si præli-  
 baverimus, operæ nos pretium facturos existimamus.  
 Id quod propositum nostrum feliciter ut cedat, Su-  
 premum faxit Numen! Sit itaq; Dissertationis hujus:

## CAPIT I.

*Comes* unde dicatur Latinis? abluunt à vero, qui ori-  
 ginem à *comitate* sive *gravitate* arcessunt; unde Ger-  
 manis *Grass*? Errant, qui vocis *Grassen* natales pe-  
 tunt à *Grau* vel *graben* vel *grève*. Olim *Comites*  
 iidem, qui *Judices*; probatur id ex libris feudali-  
 bus. Quilibet ferè præfectus apud priscos *Comes*  
 vocatus; quinam nostra jam ætate ita nominen-  
 tur? pristinis temporibus num jus vitæ & necis  
 habuerint? Ebræis *Cretbi* & *Pletbi* qui?



**D**e *Comitibus* verba facturi, non imme-  
 ritò pro meliori tradendorum intellectu  
 ab origine vocis telam auspicamur, pensi ha-  
 bentes illud *Aristotelis*: (d) *intelligendi*, di-  
 centis, *principium derivatio vocis est*; Si i-  
 gitur vel per transfennam Philologorum,  
 jam introspicimus codices, invenimus, *Co-*  
*mitis* natales deduci à *Com* & *eo*, qs. qui unâ it, *socius itineris*,  
*συνδοιπρότης*, ut vertit *Gloss.* vel à *comitando* sive *sequendo*;  
*Comitum* enim apud Romanos antiquis temporibus præci-  
 puum erat officium, Imperatorem comitari & sequi, tum in  
 rebus bellicis, tum aliis domesticis forensibusq; negotiis, pro  
 Imperii utilitate gerendis. Qua de re videantur *Jun.* (e) &  
*Reuf-*

---

(d) *1. post. anal. c. 3. § 3. Met. c. 2.* (e) *in Orat. tom. 2.*



Reufner. (f) Quod ipsū calculō etiā suō confirmat Alciatus (g):  
 Comites, inquit, veteribus dicebantur, qui Proconsulibus & prasidi-  
 bus in provinciam abeuntibus comitatum praebebant, tanquam pu-  
 blicorum negotiorum consortes & administri, quales erant quasto-  
 res, s. ribe & c. Atrō verò procul ambiguo notanda carbone  
 illorum sententia est, qui vocabulum hoc ad comitatem & gra-  
 vitatem verborum vel eloquentiam referunt, illamq; huic digni-  
 tati nomen dedisse volunt, eā ducti ratione, quòd veteres Ora-  
 tores nulli alii, quàm politici audiverint. conferatur *Wimpfe-  
 lingius* (h). In Germanorum si quis prata ambulārit, inve-  
 niet ibi, vocab. Comes denotari dictione *Grass*, quòd ortū tra-  
 hit à voce *Graphio* aut *Gravio*, *Paulo Diaconò* teste (i): *Gravio*  
 verò Judicem significat s. praefectum, ceu ex *Avent.* (k) pater,  
 cui ad stipulatur quoq; *Joann. Calvin.* (l) *Praefectus*, scribens  
 quem *Franci Gravionem* vocāt & c. & in hunc diem usq; iudices  
 pagani in *Hassia* appellantur *Grassen* aut *Greben* / apud nos  
*Schultheiße* / in oppidis *Richter*. Hinc *Spec. Sax.* (m) *Ein Grass*  
 bedeut nach alten *Sächsischē Deutschen* ein *Richter* / darumb habē  
 diesen Nahmen viel unterschiedene *Richter*. Unde & appellatio-  
 nes istae: *Pfalzgraffen* / qs. *Palatii imperialis iudices*, *Land-  
 graffen* / quasi *Judices sive praefecti provinciae*, *Burggraffen* /  
 quasi *arcis praesidiiq; comites*, *Centgraffen* / qui in antiquis  
 Germanorum legibus *Centenarii* proclamantur, *Hochgreve* /  
*Frengreve* / *Dinggreve* / *Holtzgreve* / *Salzgreve* / *Judices peda-  
 nei*; quos ordine recenset *Cujac.* (n).

Quid verò de illis, qui vocem hanc *Grass* sive à *canitie*  
*Grav* / s. à fossis *graben* deducunt, judicandum sit, alii dispici-  
 ant; prioris Etymologiae *Jacobus Willichius* (o) hanc praetendit  
 rationem, quòd Senioribus tantum & veteranis militibus ve-  
 teres apud Germanos tributum id muneris fuerit. Latinis i-  
 gitur uti *Judicum concilium* appellabatur *Senatus*, & *Adseffo-  
 res judicii Senatores*, eò quòd senes plerumq; hi essent: ita &  
 Germanos veteres iudices suos *Graven* nominasse, autores

A. 3

non-

(f) in *Hort. Philol. Histor.* p. 183. (g) in *lib. de sing. certam.* c. 22  
 (h) in *vita Dietheri, Archiepisc. Mogunt.* (i) *histor. Lōgobard. quintò* (k)  
 l. 3. (l) in *tract. c. de principe* p. 134. (m) l. 3. art. 53 (n) l. 1, de *feud.* c. 1.  
 (o) in *Tacit. Germ.* 19.



nonnulli existimant, eò quòd ad hoc electi officium homines  
 senes canitieq; venerandi, qui nobis adhuc graue leute voci-  
 tantur. Sed nec illorum nomenclatura silentii involvenda  
 sipario videtur, qui vocem *Grass* idem esse asserunt ac *Grieve*,  
 ab hybridâ compositione Anglici verbi *Grith*/quod *pacem*  
 designat, ac Latini *ve*, hâc moti ratione, de pace quòd jure cogi-  
 tare debeat, qvi patriæ inferat *ve*, h. e. miseriam & malum;  
 quam derivationem haud immeritò cum *Kerchn.* (p) flocci-  
 pendimus, neq; assensum nostrum ut istis autoribus præbea-  
 mus, à nobis impetrare possumus. Atq; hæc de Etymologia  
 in antecessum satis sunt. Levi jam (ut ajunt) brachio tangemq;  
 & vocis hujus Homonymiam. Nomine autem hoc qvemlibet,  
 qvi alium comitatur, in via cum primis, denotari, in aprico  
 positum est; inde & antiquissimum istud resultavit diverbium:  
*comes facundus in via pro vehiculo est.* Ast si pro nomine digni-  
 tatis usurpatur, ut in præsentiarum, aliò modò enodanda &  
 enucleanda æquivocatio est. Judices autem olim hoc nomi-  
 ne insignitos fuisse, facile nobis è veterum Historicorum mo-  
 numentis probatum conceditur, quorum officium, causas co-  
 gnoscere, postulationes audire, libellos supplices legere, hisq;  
 respondere, circa edicta & epistolas scribendas ac decreta in-  
 terpretanda versari, juxta *Paurmeist.* (q); etiã hinc ad assessores  
 vel consiliarii vocati, quod judicanti assiderent & consulerent,  
 justitiamq; simul administrarent, quò fortasse apud nos no-  
 mine veniunt *Schöpffen/Schöppen*/ veluti annotat *Papinian.*  
 (r). quamvis alij malint vocem hanc deducere ab Ebræo *שפוט*  
*judicavit.* unde *שפוט* *judicium* *שופטים* *judices.* Certè in  
 feudalibus libris *Comites* pro iudicibus accipi, & in *c. unic. §. si*  
*judex, 2. de pac. tenend.* qvi in principio *judex* appellatur: in  
 vers. *si duo*, comitè dici, quin & in §. 5. ejusd. tituli *palatium co-*  
*mitis pro foro Judiciali* sumi, jam pridem probatum dedit Aca-  
 demix quondam hujus lumen Arumæus (s).

Qui

---

(p) q. de Rep. disp. 8. t. b. 1. ad lit. d. (q) in tract. de jurisd. com. l. 2. c. 10 (r) l.  
 4 de off. ad ass. (s) in disp. 3. feud. p. 538.



Qui sic dicuntur *Comites*, iidem *Cæsari & Tacito Principes* sunt. ita enim hic (t) de Germanorum Magistratu: *eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosq; reddunt.* Ille verò (u) de iisdem: *in pace nullus, inquit, est communis Magistratus, sed principes regionum atq; pagorum inter suos jus dicunt controversiasq; minuunt.* Temporis successu appellatio *Comitis* porrecta propè ad omnes est, qui negotio alicui præpositi fuerunt, adeò ut cuilibet ferè præfecto *comitis* nomen impositum. Atq; hinc *Comes* in exercitu munus habuit suum, sic in palatio itemq; provinciis: estq; alius *militaris*, qui legionis aut numero militum præfectus fuit, idemq; tribunus militum. Alius *sacrarum largitionum* præfectus sive præses, cui thesauri & opes fiscales Imperatoris, sicuti *Vultejus* tradit (x) committebantur, s. per quem Cæsares stipendia militibus erogabant, qui Græcis *κόμης δαψιλειῶν ἢ τοῖς παραρχῶν* dicitur, observante *Carol. Labb.* (y). Fuit quoq; *Comes rerum privatarum*, qui propriam substantiam s. patrimonium principis sive dominicam & divinam domum gubernabat. Sic etiam *Comitem Orientis* legimus, per quem is indigitatur, qui eas res Cæsaris, quas in Oriente possidebat, procurabat, quo de *Petr. de Andl.* (z). Alius *Comes laborum*, qui etiam præpositus laborum, qui potestatem tenuit in omnes mediastinos, aliosq; domus Imperatoris artifices atq; opifices. Alius deniq; *horreorum*, alius *domorum*, alius *sacri consistorii*, *sacri palatii*, *stabuli*, *sagittariorum* &c. quorum mentio fit apud *Ammian. Marcell.* (a). Plura hac de re nôsse desiderantem ad *M. Aurelium ablegamus Cassiodorum* (b).

His significationibus ita recensitis ac simul sepositis asserimus tandem cum *Paurm.* (c) & *Schönb.* dictò locò: illos demum temporibus nostris *Comites* absolutè loquendo haberi, quibus dignitas *comitatus* *codicillis Cæsareis vel Regiis, vel usù longèvo acquisita est*; quam ultimam significationem hujus loci

---

(t) c. 12. de mor. Germ. (u) l. 6. de bell. 6. Gall. (x) l. 1. Jurispr. Rō. c. 12. ad n. 55. in marg. (y) in observ. in synops. Basil. (z) l. 2. c. 12. (a) l. 29. var. gest. (b) l. 6. var. 6. 7. 8. 18. (c) h. a. de juris d. c. 10 n. 13



loci propriam facimus, atq; adeò ex disputationis nostræ cam-  
 po illos removemus, qui de comitatu investiti non sunt, sed à  
 castellis privatis, quæ possident, dominationis titulos contra-  
 xerunt, quorum majores Comites temporarii Romæ fue-  
 runt, nudumq; dignitatis nomen, exteris nationes dum pete-  
 rent, retinuerunt, prout refert *Petr. de Andl. d. l.* Tempore enim  
 illò rectoribus tantùm ipsis existentibus provinciarum, non  
 cōpetebat eis autoritate propriâ jus vitæ & necis, non leges fe-  
 rendi, neq; magistratus constituendi: quæ regalia nostris Co-  
 mitibus ab Imperatore in feudum sunt data, adeò etiam, ut ad  
 heredes devolvantur. Quam ob causam quoq; Illustr. Dux  
 Würtemberg. Frid. Achilles (d) falsè ridet tot Marchiones in  
 Italia, quibus tamen nullus Marchionatus, tot Comites, qui-  
 bus nullus Comitatus, tot Equites, quibus nec equus nec calca-  
 ria, atq; adeò nec ocreæ sint: ita ut nemo ferè Marchionum s.  
 Comitum de Marchionatu sive Comitatu investitus sit. Atq;  
 hæc in limine sufficiant, si conjecturam tamen aliquam in-  
 medium adhuc priùs protulerimus, quam perinde nobis est,  
 sive quis approbet sive rejiciat. Quinam *Cerethi & Pletbi* sint  
 (quorum mentio in Bibliis fit) variant interpretum senten-  
 tiæ. Quidam omnes Philistinos *Cerethim* vocari autumant;  
 quidam verò partem tantùm ex terræ Philistinæ Meridiona-  
 lis incolis: prioris sententiæ fautores leguntur *S. Hieron, Ri-  
 bera, & alii*; posterioris, *Cornelius à Lapide (e) Abulens. & c.* Ve-  
 rùm quicquid demum hujus rei sit, sive pars s. totus Philisti-  
 norum populus hoc nomine venerit, sufficiat nobis, quòd fue-  
 rint viri singulari fortitudine præditi ac robore, cœu in Sacro  
 codice multis è locis apparet. Hinc ex gente hæc, cùm in lau-  
 de bellica tùm temporis audiret præstantissima, David duas  
 elegit legiones quasi prætorianas & fortissimas, quibus custo-  
 dia corporis sui regii committeretur, atq; his ipsis tale impo-  
 suisse nomen videtur: *Cerethi* nimirum & *Phelethi*. Cùmq;  
 Scheva raptim efferatur, inde communiter dicuntur *Cerethi &  
 Pletbi*. Vox verò *Cerethi* deducitur à *כרת* quod est, *occidere,*  
*perde-*

---

(d) in orat. contra Italos (e) in comm. in Sophon. Prophet. c. 2. p. 117.



perdere; Pheleti autem à radice פֶּהֶלֶת, quæ significat *evadere*, in  
hiphil verò *eripere, liberare*, quasi essent interfectores & libera-  
tores, adeò ut regem ejusq; affeclas ab omni, quod ab hostibus  
imminere posset, periculo liberarent, Regisq; adversarios in-  
terficerent.

Josepho id hominum genus satellitii venit nomine: de  
Davide enim loquens scribit (f): quòd Banaïam Jojada filium  
satellitio suo proposuerit; & aliò locò (g) quos *Vulgatus* appellat  
Ceretbi in Salomonis comitatu, ipse *Regiam* vocitat *cohortem*.  
Inde & Gloss. ordin. Ceretbi & Pheletbi assisteabant regi, custodièn-  
tes corpus ejus, & interpretantur *interficièntes & vivificantes*,  
quoniam secundum judicium eorum digni reservabàtur ad vitam,  
alii ducebantur ad mortem. Quid si à Comitum, quos Germa-  
nos nostros habuisse memoravimus, Grassendictos, similitu-  
dine; illos non procul decedere diceremus? Etenim Imp.  
Germanorù olim Comites & ipsi satellites, vel potiùs in rebus  
bellicis aliisq; dijudicandis Imperatoris ordinarii adseffores  
erant. Sed nimis multa forsan in vestibulo. Properemus ad

## CAPUT II.

Comites in Germania quando hereditariâ donati dignitate? quis hujus  
privilegii autor? Imperator omnis nobilitatis & dignitatis fons  
est. An etiam Populus in Democratia & Optimates in Aristo-  
cratia potestatem creandi comites obtineant? Comitum differen-  
tia. Alii Landgravii. Alii Marchiones. Landgraviorum quot in  
Germania? Marchiones quot olim constituti in Imperio Roma-  
no? Comites ad Rhenum. Comites Palatini in duplici differen-  
tia. Alii de comitatu investiti, alii non. Posteriorum quæ privile-  
gia sint? Burggravii quinam? Comites S. R. J. Quatuor-viri. Ex his  
soli adhuc Per-Illustres Comites Schvartzburgici restant. Qvis-  
nam ordinum istorum in J. R. classes instituerit? Varii varias de  
autore isto foveant sententias.

Primò verò omnium ac fronte quasi primâ *origo Comitum*  
examinanda & enucleanda venit. Non autem de illis e-  
rimus solliciti Comitibus, qui apud Germanos ab ipsis istis an-

B

ti

---

(f) *Antiq. Jud. super lib. Reg. lib. 7. c. 6. (g) eod. lib. c. 11.*



tiqvissimis temporibus ex nobilitate electi, ut per pagos vicinosq; jura dicerent: neq; disquiremus, quando apud Romanos illi omnes, quibus Comitum cessit nomen, sumserint initium; sed istud tantum perscrutari tempus, nisi divortia tamen sententiarum prohibuerint, allaborabimus, quò dignitas & potestas illorum perpetua esse cepit, ita ut in provincias non temporariam amplius sive demandatam, sed perpetuam, ut ita loquamur, h. e. hereditariam sortiti jurisdictionem fuerint, de re qualibet, civili & criminali; Roman. enim & veterum German. tempestate potestas illa temporalis semper sive ministra fuit.

De Autore sive eo, qui primus dignitatem illam hereditariò jure conferre cœperit, magnæ autorum dividia sunt. Ex antiquitatis tamen secretariis quantum perdiscere licet, verò proxima videntur, quæ in *Consuetudin. feudal.* (h) legitimus, huc facientia: *Erat nimirum*, ut verba ibi sonant, *antiquissimò tempore sic in potestate Dominorum connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum à se datam: postea verò eò deventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent, deinde statutum est, ut ad vitam usq; fidelis produceretur, sed cum hoc jure successionis ad filios non deveniret: sic progressum est, ut ad filios deveniret: in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare: quod hodiè ita stabilitum, ut ad omnes aequaliter filios pertineat.* Cum verò Conradus Romam proficisceretur, à fidelibus, qui in ejus erant servitio, petitum est, ut lege ab eo promulgatâ hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & ut frater fratri sine legitimo herede defuncto, vel filius in beneficio, quod patris fuit, succedat &c. Cæterum ut hæc ita tradantur: sunt tamen alii, qui Henricum Aucupem ejusq; filium Ottonem dignitates Ducum, Comitum, Marchionum &c. quæ antea temporali & vicariâ nitebantur potestate, perpetuas & jure patrimonii in filios posterosq; cum reliqua hereditate transitorias fecisse referunt, & huic sententiæ subscribunt *Spangenberg.* (i) & *Petr. Albin.* (k). idq; factum dicunt ad conciliandos conservandosq; procerum animos. Sed ut controversiam hanc dirima-

---

[h] *L. tit. 1. (i) in Chron. Saxon. c. 158. (k) tit. 2. in Chron. Misn.*



rimamus, tantum quidem nobis non sumimus; Id tamen apud nos certum est, quod à nemine, quàm ab Imperatore talis concessa ipsis dignitas sit: utpote cuius creandorum *Comitum*, imò *Ducum*, *Marchionum* &c. in Imperio Romano competere, extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitramur.

Rectè proinde ille omnis dignitatis & nobilitatis fons salutatur, è quo ceu ex Oceano omnes in J. R. Magistratum dignitates, gradus, atq; jurisdictiones fluunt, & ad quem refluent. Verùm enim verò omninò quoq; è re videtur esse, si hanc quæstionem illà consideraverimus: *Num in Aristocratiâ itemq; Democratiâ, ubi tamen nullus seorsim consideratus Comitis fulgeat dignitate, honorè hūc quis impetrare possit?* Sunt sanè hanc in quæstione rationes, quibus utraq; pars statumini posse videtur, gravissimæ; tēporis tamen chartæq; redimendæ causâ sepositis negativæ sententiæ fulcris de affirmativâ videbimus, quæ hanc potissimùm stabilitur ratione, quod nemo illis, Optimatibus videlicet in Aristocratiâ, Populo in Democratiâ, denegare summam potestatem audeat: Quicumq; autem summâ præditus potestate est, illi etiã dubio procul, cum *essentiæ rerum sint indivisibiles* dicente *Philosopho* (1), partes ejus competunt, *regalia* nimirum *majora*, ut vocant nonnulli, & *minora*, quæ constituunt Majestatis essentiã; sine partibus enim essentialibus essentiã nullam subsistere posse, vel iis, qui nondum ære lavantur, notum est: quin potiùs pro non-ente reputandū id venit, essentialibus quod caret partibus; qualis enim, quælo, homo, si ipsi denegaretur anima rationalis, quæ pars videl. hominis perficit essentiã? Ergò Regalia si Optimatibus in Aristocratiâ & Populo in Democratiâ conceduntur, nullum est dubium, quin dignitates etiã conferre tum Optimates tum Populus in sua Republ. queant, & per consequens Duces ac Comites creare: ubicunq; enim est Majestas, ibi etiã sunt jura Majestatis, nisi velis dicere, totum esse sine partibus, sed evolvatur hinc CL. Cell. in polit. Aristot. (m). Neq; tamen ex-

B 2

inde

---

(1. lib. 8. *Metaph.* c. 3. 4. 24. (m) l. 2. c. 7. p. 184 9. 26.



inde, quòd actu tales dignitates non facilè distribuunt atque  
 adeò potestate hac sive hoc regali rarò utantur, Optimates in  
 Aristocratia, Populus in Democratia, sententiæ nostræ decede-  
 re quicquam videtur. Hoc enim inde fit, quia Duces vel Comi-  
 tes isti ab ipsis tali aucti dignitate, illos antecederent: unusquis-  
 que n. ex optimatibus seorsim consideratus non tantà, quantà  
 Dux, auctoritate pollet; atque hinc etiam est, quòd in Aristo-  
 cratia ὀλίγοι, πλείονες ἢ ἐνός, ἄρχουσι, pauci, plures tamen unò, im-  
 perent, ut habet *Philosophus*, (n) vel quòd potestas talis resideat  
 penes omnes sive plures istos simul sumtos, non verò penes u-  
 num sive alterum divisim consideratum, & sic jus illud non ni-  
 si juncti exercent. Ast, quòd revertamur unde digressi sumus,  
 melioris dilucidationis gratiã visum etiam nobis pretium cu-  
 ræ est, varia hinc Comitum genera brevibus delibare; facilius  
 enim exinde diversam eorum colligere dignitatem licebit. In  
 duplici autem Comitibus habentur genere: quidam *cum adje-*  
*ctione* tales appellantur, & principum locò sunt, ut *Mar-*  
*chiones*, i.e. Comites limitanei, &c. quidam *sine adjectione*, ac hi  
 suo ordine censentur. Secundùm prius igitur membrum alii  
 sunt, (r) qui dicuntur *Landgraffen / Landgravi sive Comites pro-*  
*vinciales*, hi iudices creduntur totius alicujus provinciæ: no-  
 minantur etiam apud veteres iudices mediterranei, *Richter ei-*  
*nes Landes / das zwischen des Reichs Lande liget /* ceu indicat  
*Borcholt*. (o) Quatuor horum numerantur in Imperio nostro,  
 Thuringiæ sc, Hassiæ, Alsatia & Leuchtenbergensis, aliàs Lich-  
 tenbergensis; Alsatia verò domus desit, cum in Archiepisco-  
 patum Argentinenensis Ecclesiæ jura istius Landgraviatús trans-  
 lata sint, qua de re differentem vide *Schönb.* (p). Sunt deinde (2)  
*Marggraffen / Marchiones sive comites limitanei*, qui tuendis fi-  
 nibus Imperii Romani olim erant præfecti, *Marchenses* hinc  
 dicti, ut in Annalibus Fuldensibus annotatum: ex quo Itali  
*Marchese*, Galli *Marquis* suum fecisse creduntur, ἡ δὲ λατὴ Ⓞ  
 μαρχέσι Ⓞ, ait *Nicephorus Greg.* (q); Derivationem autem hu-  
 jus vocis cui fuerit volupe legere, adeat *Arum. & Schönb.* (s)  
 Marchio-

(n) l. 3. p. 47. (o) de feud. c. 5. 33. (p) in polit. l. 5. c. 39. de Landgr. (q) fol. 108.  
 (r) in disc. Acad. de jur. publ. disc. 18. th. 1. p. 579. (s) d. 1.



Marchiones Imperii R. recensentur quatuor: Misnensis, Brandenburgensis, Moraviensis & Badensis. Numerantur (3) Comitum alii, dicti die *Reingraffen* / *Comites ad Rhenum*, qui inter alios Palatinos singulari præluent eminentiâ. Alii præterea (4) appellantur *Pfalsgraffen* / *Comites Palatini*, erantque olim iudices sive præfecti Palatii Imperialis, *Richter des Kayserlichen Hoffs oder Pallafts* / ceu testatum reddit *Ruding. obser. 4. cent. 5.* Notandum, aliud etiam haberi genus *Comitum Palatinorum*; quod *abusivè*, juxta nonnullos, hoc donatum nomine, atque hi aliis comitibus longè inferiores judicantur, qui scilicet de Comitatu aliquo investiti non sunt; sed vice Imperatoris, cum ipse omnibus in locis adesse nequeat, actus nonnullos expediunt, qui aliàs non nisi ab Imperatore dependent: Iis autem cum non semper eadem detur potestas, proinde, quousque sese illa extendat, ex tenore privilegii discendum.

Alii porrò (5) aliò vocantur nomine *Burggraffen* / *Burggravi*, præfecti sive iudices certi alicujus præsidii s. arcis, quam *Guardiam* olim appellabant. *Dresserius* (t) putat, *Burggravi*um esse quasi iudicem ex arce Imperatoris, tanquam ex sede ordinaria jus dicentem sive consilia publica constituentem atque gubernantem; ut, sicuti *Marggravius* præses limitaneus est: ita *Burggravius* præses sive præfectus arcis. quâ de re fusiùs *Münsterus*. (u) Horum (6) denique proximè vestigiis insistant *Magnifici Comites S. R. I. quatuor-viri*, utpote qui ex Comitum cæterorum ordine singulari quodam Cæsarium privilegio exempti quasi & peculiari ratione *Imperii Comitum* titulò ornati sunt: dicuntur Germanicè die *vier Graffen des Reichs*. minores quid inter Principes, sed gradu suo majores: Comites nimirum *Clivenses*, *Cilienses*, *Sabaudici* & *Schwartzburgenses*; in quantum cognoscere est ex *Petr. de Andlo* (x) ac *Schönbornero*. (y) Ex his antehac *Clivensis* ad Ducis dignitatem evehctus fuit, nostrâ tamen ætate familia ista penitùs esse desiit; *Ciliensium* verò Comitum familia stirpe veteri extinctâ ad *Austriæ Duces* annò 1456. feudali jure translata est. Comes *Sabaudia* in *Constanti-*

(t) in *Isagog. Histor. part. 4 pag. 436.* (u) l. 3, c. 24. (x) de *Imp. Rom. c. 16.*  
(y) *pol. l. 5. c. 40.*



stantinensi Concilio à gloriosissimo Imperatore Sigismundo  
itidem Ducali insignitus titulò fuit, ut sic sola SCHWARTZ-  
BURGICA FAMILIA pristinam dignitatem adhuc re-  
tineat, titulòq; gaudeat veteri: **Der Vier Graffen des  
Reichs/Graffen zu Schwarzburg und Hohnstein etc.**

Atq; hinc paululùm subsistere lubet, paucisq; inquirere  
autorem, à quo non *quatuor-virum* solùm *Comitum*, sed & cæ-  
terorum ordinum classes in nostro trahant originem Impe-  
rio. Verùm in hodiernam usq; lucem de illo in Politicorum æ-  
què ac Historicorum foro lis agitatur, ut *Delio natatore* hinc o-  
pus habeat, si quis perscrutari velit. adeò intricata nempe res  
ista & involuta conjecturarum nebulis est. Sunt, qui ab Otto-  
ne III. ordinem illum S. Imperii Romani constitutum esse au-  
tumant, quòd videlicet ex singulis ordinibus quatuor per gra-  
dus sint electi & confirmati. hanc in sententiam propendent  
*Simon Schrad.* (z) *Rudolphus de Columna* (a) & alii, relati ab *An-  
drea Knichio* (b). Sententiam autem horum labefactare cona-  
tur *Elias Reusnerus Leorin.* (c) illudq; inde, quòd isto seculo nul-  
li extiterint Duces sive Brunsvicenses sive Thuringiæ, sive Has-  
siæ & Leuchtenbergæ Landgravii, imò nec Marchiones Ba-  
denses ac Comites Sabaudia & Cilia, planum facit; cùm ipsa  
Historicorum monumenta Fridericum II. Imperatorem, Ot-  
thoni Saxoniae Principi, Primo Duci Brunsvicensi & Lüne-  
burgensi Moguntiae scepra dedisse satis luculenter testentur,  
atq; exinde sanctionem istam ad Carol. IV. potius, quàm ad a-  
lios, referendam esse colligit. *Paurmeistero* (d) illorum arridet  
sententia magis, qui ab annis circiter 300 dignitates & officia  
hæc primùm erecta esse, opinantur. Alii Otthonem II. col-  
legit hujus credunt fundatorem, quorum iudicio ferè suffra-  
gatur *Nicol. Bell.* (e) quando, licet præcisè, ait, *eius instituti tem-  
pus indicari nequeat: tamen sub Otthone II. Imperatore, aut circa  
annum Domini millesimum vel paulò post, eam constituendarum  
confirmandarumq; dignitatum rationem à Monarchis ordinatam  
fuisse*

(x) lib. sing. de Elect. Orig. c. 1. (a) de transl. Imp. (b) de jur. territ. c. 1.  
n. 84. (c) in quest. illustr. qv. 7. p. 85. (d) l. 1. de jurisd. Imp. Rom. c. 10. n. 26.  
(e) disp. polit. tom. 4. disc. 13. p. 838.



fuisse, omnino est verisimile. Onuphr. Panvin. dicit, quod quidam post VII. Electorum institutionem ex omnibus ordinibus singulari quadam excellentiâ ad Romani Imperii ampliandam Majestatem atq; ejus dignitatem tuendam, per gradus quaternariô numerô fuerint selecti: ut, veluti numerantur 4. Laici Electores, sic quoq; 4. Duces, 4. Marchiones, 4. Landgravi &c. Sed quia nobis non omnes depulsæ hac in re videntur tenebræ, temerarium probè ducimus, certi quid hîc adferre vel definire velle. Quemadmodum verò de origine hujus institutionis: ita quoq; de fine ejusdem diversi diversas alunt sententias. Zacharias Victor. (f) ad pompam & ostentationem Imperii hanc distributionem factam esse censet. Sed VVelferus (g) magis probabile hac de re ferre judicium videtur, dum lecti fuere, scribit, quaterni ex singulis, quos hoc Imperium complectitur, ordinibus, ut autoritate & potentiâ ceteros sui ordinis antestantes tanti Imperii Majestatem, columnarum veluti more fulcissent, firmisq; Imperium columnis ac basibus innixum adverse tempestatis procellis ac turbinibus majori potestate & valore resistere posset: atq; hunc ipsum institutionis hujus scopum etiam Petr. de Andl. (h) approbat.

Sed de his plus satis & fortasse nimium: propiùs igitur pedem, quod ajunt, collocabimus ad propositum nostrum, ad alterum nimirum, & quidem præcipuum disputationis nostræ membrum. Esto itaq;

### CAPUT III.

FAMILIA SCHVVARTZBURGICA generis antiquitate maxime clara. Illius originem aliqui à VVitekindo Nigro arcessunt. Num aliquid ponderis illorum insit sententiæ? Itém an istis attribuenda omnino fides sit, qui familiam hanc ab Ernesto Nobili quodam Romano ortam censent? Verò magis consentaneum videri, quòd à Comitibus Kevernburgensibus Familia hæc originem trahat. Rationes unde hoc stabiliri possit, quænam? de horum quoq; ortu variantes opiniones. Num à Gothis veniant? à Rege quodam Galliæ illos oriundos, non improbabiler credi. Dignitas COMITUM SCHVVARTZBURGENSIUM amplissima. An adhuc ad Comitata vocentur?

Post-

---

(f) de caus. exemt. concl. 5. (g) l. 5. rer. Aug. Vindel. p. III. (h) l. 1. de Imp. Rom. c. 16. p. 74.



Posteaquam igitur ex omnibus S.R.J. Comitibus Quatuor-  
Viris soli adhuc restant SCHWARTZBURGICI,  
de illis agendum nunc nobis erit; atq; hunc disputationi no-  
stræ figemus scopum eò allaboraturi, quò ipsorum originem  
antiquissimam & dignitatem celeberrimam, quoad ejus fieri  
poterit, in lucem producamus. Ne igitur unâ, ut dicitur, per-  
ticâ, sed distinctè & gradatim propositum nostrum tractemus,  
mens animi est in originem primò inquirere. Hanc ipsam v.  
quod spectat, antiquitate sanè nulli ferè sive Principum sive  
Comitum in Imperio Romano cedunt familiæ. Historiarum  
si accesserimus consultos, proditum ab illis memoriæ accipi-  
mus, Witekindum Nigrum, Equitem auratum, in Saxonia cir-  
ca annum Christi 751. tempore Pipini Francorum Regis & filii  
ipsius Caroli, & re & nomine magni, Imperatoris Romani,  
summas militiæ partes in exercitu Edelhardi Regis Saxonici  
contra Francos, cum quibus Germani tum certabant, obtinu-  
isse, quorum etiam copias hostiles aliquoties summa cum lau-  
de fuderit & profligârit, donec demum à Francis captus inque  
Galliam abductus ad quinquennium ibi detineretur, eò quòd  
fidem Christianam arripere nollet. Victum tamen tandem hûc  
frequentioribus Caroli admonitionibus consensisse, ut sacris  
Christianorum initiaretur; è fonte igitur sacro lavatum per  
Imperatoris filium Ludovicum, qui suum ipsi nomen in-  
diderit atq; adeò Ludovicum vocari jusserit: in præmium autè  
rerum quàm optimè gestarum Carolum in saltu Thuringico  
tractum ad miliaria viginti in longitudine, ad decem verò in  
latitudine jure hæreditario possidendum recens spiritualiter  
nato Ludovico (antea Witekindus dicto) ipsiusq; filiis dono  
dedisse. Atq; hic Ludovicus ex Agnete Comitissa Wisenburgê-  
si filium genuisse, cui in Baptismi susceptione Caroli nomē in-  
ditum fuisse dicitur, qui & primus Comes Schwartzburgicus  
audiverit, idq; ex eò, quòd arcè à se ad radices saltûs Thuringici  
non procul à Salæ fluvio ædificatam hòc nomine insigniverat.  
Ab hoc itaq; Witekindo pleriq; ferè Schwartzburgicæ fami-  
liæ incunabula deducere laborant, quorum vestigium etiam  
insistit *Dres. Isagog. Hist. part. 4 p. 572.* At, quòd Carolus in  
saltu



salu Thuringico tractum hunc Ludovico adjudicari, nudum  
fanè videtur figmentum, cum circa annum 724. postquam Fi-  
lius Dei humanam induit naturam, tota ista regio, à fonte, cui  
ab Reinhardo nomen, ad Salam usq; jamtum in possessione Co-  
mitum Kevernburgensium fuerit; quod testimoniò suò con-  
firmant *Chronica Thuringica* MS. & multa insuper manuscri-  
pta alia, quæ in hunc usque diem in Per. Illustrum Comitum  
Schwartzb. Archivis adservantur. Ut taceamus *Annales Stol-  
bergicos*, in quibus mentio fit cujusdam Comitum Stolbergici,  
Volemari dicti, qui cum Anna Schwartzburgica jamtum à na-  
tivitate Christi A. 585. connubium inivisse dicitur. Sunt præter-  
eà, qui familiam hanc ortam ab Ernesto, Nobili quodam Ro-  
mano, memorant, qui cum fratre suo desertâ Italiâ propter ci-  
vilia bella anno Christi 455. in Saxoniam sese contulerit, ac cir-  
ca Göttingam duas arces in montibus æqualis altitudinis ædi-  
ficârit, quæ exinde etiam *Gleichen* appellatæ. Verùm enim  
verò nec his adeò multum fidei tribuendum videtur senten-  
tiis. maneat ergò illa, quæ non probabilis solùm maxi-  
mè est, sed & firmis niti testimoniis videtur, adserens,  
Schwartzburgicam familiam ex Comitibus Kevernburgensi-  
bus fuisse oriundam. Egregium autem testimonium ac hujus  
adsertionis stabilimentum quasi sunt, clypeus & scutum; quæ  
Comitibus tam Kevernburgensibus, quàm Schwartzburg. insi-  
gnia fuere eadem: utrique enim Comitum istorum familiæ in  
usu tum temporis fuisse memoratur clypeus quidam cœruleus,  
quo in continebatur flavus leo, capite lateri dextro obverso,  
atque pennæ pavoninæ fulgore conspicuæ, unaque cum pecti-  
ne & rastro, scuto impositis. Et hæc tanquam hereditate ac-  
cepta signa Comites Schwartzburg. non antehac tantùm sua  
agnovisse, sed ad hunc etiam usque diem sibi vindicare, pro-  
palam est. Neque sententiæ huic nostræ adversari videtur,  
quòd diversa sortiti fuerint nomina. quis enim adeò hospes in  
Historiarum monumentis est, cui non notum, usu olim fuisse  
receptum, ut Principes Comitèsque loca hereditaria cum obi-  
rent, pristinis nominibus suis abolitis quasi, à locis hereditate  
ad se devolutis alia sibi sumerent nomina? qua de re egregium

C

juvat



juvat adducere testimonium *Martini Crassi* lib. 3. p. 2. fol. 90. *Se-*  
*quando*, inquit hic, *divisa fuerit ditio in plures, maximus natus*  
*retinuit precipuam illius partem, & nomen ab ea: ceteri iidem no-*  
*mina habuerunt à locis, quae possederunt.* Clariorem se testem præ-  
bet *Johan. Filius* l. 1. de *Republ. Gall.* dum inter alia ita: *Constat* *fi-*  
*liis Principum & Comitum cognomina sua fuisse ex hereditate at-*  
*tributa.* Atque ex eo factum est, ut diutissime bona familiarum  
pars à scuto tantum & stemmate cognoscereur: Quis igitur & hoc  
cum familia Schwartzburgica contigisse, penitus inficias ibit?  
quòd nimirum Comes quidam Kevernburgensis domum  
Schvartzburgicam extruxerit, sive hæreditate acceperit  
aut aliò acquisiverit modò, posteaque a vitò cognomine muta-  
tò certum à fede sua assumerit nomen, atq; sic primus appella-  
tus Comes Schvartzburgensis fuerit. Atq; hinc esse putamus  
quòd Comes Sizo modò Kevernburgensis, modò Schvartz-  
burgensis vocatus comes: utraque enim ditio tum temporis i-  
psius subjecta dominio fuit, ideoque diversa potestas diversum  
quoq; ipsi indidit nomen. Sed enim nec sic diligentia nostræ  
satisfactum arbitramur. quòd namq; penitus in antiquissimam  
Schvartzburgensium originem penetremus, indagare nunc  
& Kevernburgensium ortum, quo de magnas inter Historicos  
dividias deprehendimus, vehementer arridet. Sunt, qui illo-  
rum natales deducere fatagunt à Gothis, qui ante Christum na-  
tum vel propter multitudinem populi vel inedia aut bel-  
lum, si fides habenda *Cranzio* est, patriam suam desertam ad Thuringi-  
cas appellarint oras: inter quos multos fuisse Duces tra-  
dunt, qui circa sylvam Thuringicam plures sibi elegerint pos-  
sensiones, in qua etiã regione pagos quàm plurimos ab ipsis con-  
ditos referunt, nominanturq; in specie: *Alferschlöben / Ehlö-*  
*ben / Wislöben / Bühlöben / Büllerschlöben /* aliiq; perquam  
multi, quos propriis illi nominibus suis donarint: Siquidem  
talia nomina, videlicet *Alaricus, Ed* sive *Edus, Wittilis* sive *Wit-*  
*tidis* sive *Wittilo* &c. apud Gothos fuerint frequentia: ita ut  
*Alferschlöben* nihil aliud denotet quàm *Alarici Leuben / Ehlö-*  
*ben / idem ac Edus* sive *Edi Leuben / Wislöben /* quasi *Wittilis Leu-*  
*ben.* Ex hisce colligunt porrò Antiquitatis promi condi, quòd  
art



arx propè Arnstadium sita, *Kevernburg*, cujus adhuc rudera so-  
lùm, quæ summam vetustatem loquuntur, supersunt, tempo-  
re illo à Regis Etzelii Duce, nomine *Kive*, vel ab alio quodam  
hujus nominis condita fuerit; qua tamen de re nostrum judi-  
cium suspendimus. Cùm verò Reges Galliarum in Lotharingia  
circa Metin castellum quoddam habuerint, *Kevermont* di-  
ctum, ceu Gallici aliique probatum reddunt Historici: non  
absurdè forsan cogitari potest, quòd quidam Rex Galliarum arcem  
*Kevernburg* nostra in regione exstruxerit, nomenque eidem in-  
diderit à patrio suo castello; *Kevermont* enim Germanis idem  
est ac *Keverberg*. Rex sanè Galliarum Lotharius, notante  
*Bernhardo Hertzeg in Chronicis Alsatie*, sex habuit filios, inter  
quos & *Gündarus* quidam (*Günther*) recensetur, cui cùm in  
*Genealogia* nullum adscriptum certum dominium sedesque  
sit, inde animadverti posse quidam asserunt, quòd statim à pri-  
mis quasi cunabulis Gallia, patriam terram relictam, alias petierit  
regiones, vel forsan à patre ipso provinciam quadam extraneam  
fuerit donatus. Egregiè sententiæ huic fovet antiquissima  
ista pictura in arce Kevernburgensi olim inventa & etiamnum  
in Per-Illustrium Comitum Schvartzburgensium arce, quæ  
Arnsteti est, adservata, qua in tres viri totidemque junctæ illis  
fœminæ, omnes veteri Germano Gallico ornatu atque vestitu  
conspiciuntur: quod vel oblongi illi & acuminati calcei,  
quales apud veteres, Gallos non minùs ac Germanos, in usu fu-  
isse commemorantur, ibidem produnt, cùm primis tamen  
inscriptio, quæ talis: *Genealogia Comitum Kevernburgensium*. ad-  
ditum v. cujuslibet nomen etiam est, atque adeò primus ex-  
pressè *Gündarus* appellatur. Licet verò certum testimonium  
afferri haud forsan queat, quòd hic *Gündarus* Regis Lotharii  
filius fuerit: attamen illum vel è linea solùm collateralis Re-  
gum Gallicorum ortum trahere, veritati non penitus dissenta-  
neum apparet; potentiissimos sanè Gallorum Reges Heròes  
tùm fuisse, facillimè exinde conjicere quis potest, quod to-  
tum ferè saltus Thuringici tractum ab Hassia usque ad Voit-  
landiam unà cum reliquis adjacentibus civitatibus atque pa-  
gis sub potestatem suam & Jurisdictionem redegerint, Præter-



eà luculentum quoque testimonium perhibent antiquissima  
nonnulla Comitum Kevernburgensium sigilla, quibus usi illi  
fuerunt, faciem aliquam cum corona Regia representantia:  
quædã insuper juxta clypeum ab utroque latere lilia; hæc ipsa  
verò Reges Galliæ jam dudum in signis suis gentilitiis habuisse,  
notum est. Ut ut igitur lis adhuc, quod dicitur proverbio,  
sub iudice versetur, quam dirimere vires nostræ minimè suffi-  
ciunt: præ reliquis tamen sententiis postremam hanc quàm-  
plurimis, non Viris solùm rerum harum peritis: sed & ipsis  
Generosissimis Comitibus Schwartzburgicis maximè attendere,  
certum est.

Vidimus aliquò modò Comitum Schwartzb. originem,  
quæ uti antiquissima & splendidissima: ita certè amplissima  
quoq; ipsorum dignitas est & laudatissima. Magni nominis  
Historicus *Alb. Cranzius* l. 6. c. 22. *Metrop.* Magnificos Comites  
Schwartzb. Principibus annumerari, non obscure prodit,  
dum *dudum*, ait, *quæsi mecum, nec reperi, quid habeat diversum*  
*Burggravius, Comes, Marchio, Comes provincialis, quem non be-*  
*nè Latinè appellant Landgravium. Equidem de provinciali Co-*  
*mite & Marchione compertum est, quia inter Principes numeran-*  
*tur; Comites indistinctè non ita: Sunt enim in eis, qui Principes ha-*  
*bentur de Anehold, & de Schwartzburg.* Præterea in vetustis  
monumentis id quoq; deprehenditur, quòd annò reparatæ sa-  
tutis 1518. Augustæ Vindelicorum in celeberrimis istis Comi-  
tiis, quibus Imperator Maximilianus I. præfuit, Comitum à  
Schwartzburg. dignitas insigniter fuerit confirmata, dum  
nimirum laudatus Imperator in universa S. R. J. præsentia,  
Cæsareâ potestate severum promulgari fecit mandatum sive e-  
dictum, ne sæpè laudatis Generosissimis Comitibus eorundèq;  
heredibus atq; ad eò toti ipsorum posteritati omnibus in comi-  
tiis & conventibus S. R. J. statum illum ac dignitatem, in qua  
versati quatuor Comites Imperii sunt, ullus unquam ambigu-  
am reddat; sed potiùs tutelæ eosdem suæ habeant commissos,  
quò eminentiâ hæc assiduè & absq; ullius protestatione uti  
possint. Quod scriptum & edictum 20. Septemb. Cæsareò si-  
gillò insignitum fuit; deinde annò 1566. ab Imp. Maximiliano  
II.



II. Postea annò 1576. à Rudolpho : & deniq; annò 1612. à  
 Matthiâ repetitum ac absq; ullâ dubitatione corroboratum.  
 Illustrissimos itaq; Comites Schvartzb. non in se saltim spe-  
 ctatos eximio in J. R. splendore fulgere; sed cæteris quoq; Co-  
 mitibus longè dignitate antecedere, nemo, speramus, inficia-  
 bitur. Nõne enim pro singulari reputari dignitate debet, quod  
 ad Comitum cū reliquis Imperii statib; non antehac solùm fu-  
 erint vocati : sed & in hodiernum diem usq; sessionem in illis  
 jusq; suffragii obtineant ? id quod satis ex nuperrimo, Ratis-  
 bonæ anno 1641. habito, conventu liquet. Ibi enim recep-  
 sum Imperii Per-Illustris DN. ANTHONIUS GUN-  
 THERUS, qui adhuc in vivis, reliquorum Illustriss. Comi-  
 tum Schvartzburgensium nomine propriâ subscripsit manu.  
 Agnoscunt in super feuda, dignitates & Regalia, quæ immedi-  
 atè ab Imperatore & Imperio obtinent, Imperiiq; matriculæ,  
 tanquam status inscripti inveniuntur: collectas item Imperii  
 immediatè Imperio solvunt, omnibusq; privilegiis ac juribus,  
 ceu alii Status Proceresq; Imperii, & ipsi gaudent. Sed ma-  
 num de tabula. Aggrediamur deniq;

#### CAPUT IV.

Schvartzburgicam familiam quàm plurimos dedisse Heroës. Ex il-  
 la quoq; Comitem Guntherum Germanorum prodiisse Impera-  
 torem. In capessendo Imperio Carolum prorsus ipsi fuisse adver-  
 sum. Electio Guntheri quo in loco fuerit peracta. Francofurten-  
 ses quæ illi portas non aperuerint. Intromissum deniq; tandem  
 in urbem esse. Coronam accepisse Aquisgrani. Carolus quomodo  
 veneno è medio tulerit Guntherum eodemq; defuncto pro voto  
 adeptus Imperium. Magistratui num honores vendere concessum  
 sit ? Gunthero Imperatori fortitudine multum haud cedere Gun-  
 therum Bellicosum. Illustria ipsius facta quænam ? Comitum  
 Schvartzb. vitam maximè fuisse religiosam. Quod multi ex illis  
 audierint Episcopi & Archiepiscopi. Monasteria ab ipsis extructa  
 quænam ? In quædam etiam jus Patronatus habuisse. Schvartz-  
 burgicæ familiæ singulare fuisse ornamentum Christianum Gun-  
 therum ; Unde magnis extollendam laudibus vitam istius esse.  
 Filios in conjugio quot genuerit. Loca hereditariò quænam possi-  
 deant Comites Schvartzburgici ?

**S**ed Per-Illustris hujus familiæ Schvartzburg. peculiare  
 Scensendum decus est, quòd Heroës aliquot egregii deq; Re-  
 publ.



publ. Christiana insigniter meriti, intérq; eos & ipse Germanorum Imperator aliquis, è stemmate hoc orti; quorum licet nomina tabulis æternitatis fama inscripserit dudum, nec longâ recensere illos serie chartæ angustia permittat: tacendus tamen non penitus jam nunc nobis videtur Achilles ille Germaniæ, Comes Güntherus, qui vivendi initium fecit annò à Christo nato tertio ac trecentesimo supra millesimum. Quàm insigni hic fuerit & corporis gratiâ ac animi robore, vel inde pronum colligere est, quòd Potentissimi Electores ad solum Imperiale evehere ipsum voluerint invitò Carolò IV, Johannis Regis Bohemiæ filio, Henrici VII, Imperatoris nepote, qui insuper & ipse Doctrinâ, fortitudine, imò opibus & armis præstantissimus memoratur. Tantis tamen ornamentis virtutes Güntheri superiores meritò creduntur. Ita n. se gerebat Güntherus, ut ob singulares animi dotes prorsus admirationi esset omnibus: adeòq; ipsum solum hæc dignitas repudiatò Carolò mansit. Conventum n. postquam instituerunt Electores Francofurti, solum illum Imperatorem elegerunt, idq; factum sub dio purificationis Mariæ festo esse, tradit *Michael Sachs in Chron. Cas. part. 4. p. 174.*

Non incommodè immisceri hîc quæstio illa potest: *An scilicet omnis novi Imperatoris electio Francofurti institui debeat?* Olim quidem Aquisgrani, Wormatiæ, Colonia ætem ac Moguntiæ peractam eam fuisse, Historiarum monumenta nobis aperiunt. Per Auream verò Bullam locus determinatus Francofurtum est, atque inaugurationi huic constitutus; unde electionem Ferdinandi à Saxone & Protestantibus, utpote quæ constituto in loco haud consummata, impugnatam fuisse, percipimus, uti patet ex *Schleid. de statu relig. & Reip. l. 9. p. 135.*; quod idem quoque de electione Caroli IV. apud *Cuspin. in vita Caroli IV. p. 382.* memoratur.

Ast notandum probè est, quòd hodiernâ luce graves ob causas electionis possit mutari locus, adeòq; strictè in casu necessitatis lex observanda non sit, si bellum nimirum vel aliud quippiam, quò minus tutò Francofurtum accedere liceat, impedimento videatur esse: sicuti exemplo nobis Ferdi-



Ferdinandus III. est, quippe qui Ratisbonæ electus. Confirmationem olim in lapidea regia quadam sede, quæ in juncto propè Rhenum conspicua, sub dio constitutam fuisse, ex *Chronico Hedion. Michael Sachs* luculenter prodidit, *part. 4.* Des Christlichen Zeit Vertretbers / cujus verba lecta sanè dignissima merito hic subjicimus: Zwischen Rheins und den Flecken Capell / liegt ein schöner Baumgarten / darinn das alte Gebäu unter sieben großen Nußbäumen / der Königsstuel genent / da die Churfürsten des Reichs haben pflegen zusammen kommen / der Kaiser und der Römischen Könige Wahl zu schließen / und des Reichs Sachen und Nutzen zu berathschlagen. Das ist ein gemaurter Sitz / auff grossen Steinern Säulen / mit 7. Schwibbogen / in der mitte stehet eine Säule / wenn man 17. Schritt hien auff gehet / kan man das Gemach beschließen / und seyn schöne steinerne Sitze rings herum / ist ein herrlich Gebäu gewesen / aber ist sehr verfallen und verwüstet. Ein jeder Churfürst hat nahe darben ein Schloß oder Stadt gehabt / da er zu Nacht sicher ruhen können / als Mainz / Lanstein / Trier / Capell / Cöln / Rens und Churpfalz. Atque in hoc ipso loco coronam fuisse traditam Carolo IV. commemorat *Albertus Argentinensis.*

Cœterum Güntherus noster Imperator electus cum Francofurtum intrare tanquam Romanus Rex cuperet, civibus verò illi portas aperire recusantibus: (hic enim illis mos est, cui memorat *Crantzius l. 9. c. 26.* in Saxon. atq; adeò consuetudinem hanc pro lege habent, ut nullum intromittant Regem, cui æmulus Imperii, nisi prius aliquot mensibus urbs obiecta vim patiatur, adversarius verò regni intereà temporis aut prælium cum illo committat aut disceptationi aliàs finem imponat.) Carolo intereà IV. æmulo Guntheri, suas illuc adducente copias; attamen cum videret hostium equitatu se superari, aciem subterfugiente, obsidione urbem cinxit. Sed post duorum mensium spatium in urbem intromissus regioq; more exceptus fuit. Quibus solennitatibus peractis duxerunt illum Regni Proceres Aquisgranum, cui & illic Archiepiscopus Moguntinus Henricus de Wirtemberg coronam imposuit;

vel



veluti meminit *Onuph. Panv. l. 3. Roman. Princip. p. 221.* Nec  
est, quod aliquis huic coronationi, quippe quæ à Pontifice con-  
firmata haud fuerit, aliquid dignitatis velit detrahere, cum  
Imperator nullatenus habendus pro Papæ vasallo sit, neq; ab  
eo egeat Imperii confirmatione; sicuti hanc rem fusiùs in di-  
sputatione quadam demonstravit *Andreas Gerhardus J. U. D.*  
*viv. cu. d. 1015*, avus meus dulcissimus. Sed uti honori magno  
magnum imminet periculum, ita & hic factum. Carolus e-  
nim cum vi & armis nihil se effecturum cerneret, nimio alla-  
boravit opere, quò Guntherum venenò è medio tolleret. Idq;  
consilium suum cum diu mente volutasset, famulus tandem  
Medici *Fridaugii* (alii *Frendandis*) aditum spei præparat, lar-  
gitionibus n. à Carolo corruptus Gunthero ægotati venenum  
in potione à Medico præparatâ propinat. Licet verò Gunthe-  
rus magnam veneni partem vomitu rejecisset: reliquiis tamen  
ita enervatus fuit, ut ad res gerendas prorsus ineptus reddere-  
tur. Cum igitur de vita ipsius propè actum esset, Rudolphus  
Palatinus & Marchio Brandenburgensis Carolo fuere aucto-  
res, quò Guntheri heredibus duo numeraret ac viginti millia  
Marcarum argenti in compensationem impensarum, additis  
duobus in Thuringia oppidis: Francofurtensibus verò redde-  
ret insuper emporii ac publici mercatus jus, quod Mogunti-  
am transtulerat, tumq; Guntherus Carolum Regem salutarer.  
Rebus ita transactis Guntherus fasces Imperiales reliquit &  
sexto ab electione mense diem obiit supremum: regio tamen  
more inq; regio monumento Francofurti in æde D. Bartholo-  
mæi sepultus fuit, cum inter mortales egisset annos 45. Ast plu-  
ra de Gunthero cui legere allubescit, adeat B. Gerhardum, pro-  
patrum meum longè desideratissimum, cujus & memoria  
mihi semper sancta est ac dulcis, in *epist. dedicatoria ad Conf. Ca-  
thol. part. 3.* Post hunc *Chronic. Carionis p. 803.*

Sed sub manibus nobis suboritur quaestio: *num vide-  
licet Magistratus honorem vendere possit debeatve?* Militant  
sanè pro parte utraque tam negativa, quàm affirmativa, argu-  
menta non levia; nostrum tamen calculum iis potiùs adjicere  
nulli dubitamus, qui negativam defendere sententiam conan-  
tur, his potissimum innixi rationibus: primùm, (1) quia decli-  
nan-



nantis imperii manifestū judicatur signum, cū Magistratus venales sunt, teste *Platone in de Republ. l. 8.* Efficitur porro hoc, ut in honore majore pretiōq; divitiæ sint, quàm ipsa virtus, totaq; adeò civitas imoderato pecuniæ studio dedita, segniùs Divam hanc, virtutem veneretur, ibi verò optimis in *Republ.* locus esse non potest. Deinde (2) quia multi invenientur emtores, avari quidem & δωρόφαγοι, sed indigni, qui per largitiones tamen ad dignitatum conscendere fastigium nunquam non conabuntur, sive ad illos apti fuerint sive secus. Postea (3) rationem quoque adducimus ab authoritate pari: detestatur omnino foedissimas Judiciorum venalitates gravissimus ille Romanorum Senator *Cassiodorus*. Merito verò laudatur egregium *Alexandri Severi* Imperatoris institutum, qui nunquam honorem juris & gladii vendidit. *neesse est, graviter dicens, ut, qui emit, vendat, & ego non patior mercatores potestatum, quos si patiar, damnare non possum: erubesco enim punire eum hominem, qui emit & vendit.* Rectè Peripateticæ Scholæ Princeps *Aristoteles l. 2. polit. c. 11.* vehementer improbat tanquam errore plenam Carthaginensium legem, quâ ditissimi tantum in Magistratum vocabantur; ita enim ille: *ἐντιμον γὰρ ὁ νόμος ἔτι ποιῆι τὴν πλεῖστον μᾶλλον τῆς ἀρετῆς καὶ τὴν πόλιν ὅλην φιλοχρήματον.* Con- sultius itaque magis & longè utilius Reipublicæ fore ducimus, si unusquisque per virtutes consequatur Magistratum, honoresque distribuantur secundum merita cujuslibet ac facta.

De Gunthero autem nostro sentiendum quid sit, neminem putamus hominum fore, qui illum avaritiæ ex Imperii venditione insimularit, efflagitante enim magnâ necessitate, svasu insuper Rudolphi Palatini & Marchionis Brandenburgensis adductus demum, Carolo IV. pro certa pecuniæ sive impensarum potius factarum summâ cessit regnò, imò reddere quasi coactus est. Metuere namque debuit, ne, si emtionem recusasset, suis etiam heredibus eòdem, quò ipse expertus erat, modò, regnum Carolus vitamque eriperet.

Cæterum si quis hujus adjungendus lateri, certè Guntherus Bellicosus est. Heroici hinc animi eximium prorsus specimen in Galliis edidit annò Christi 1555. ; sæpè enim numero

D

Gallos





Gallos cruentò admodùm laceſſivit bellò, illorùmque copias viriliter coniecit in fugam, armis exiit ac tandem delevit penitus. Annò verò 1563. & ſeqq. turmæ Equēſtres in Dania à Friderico II, quò Erico Regi Sveciæ bellum faceret, eidem fuere commiſſæ, quò bellò rem adeò geſſit præclare, ut brevi poſt à Maximiliano Imperatore Romano ſupremus exercitus Dux in Ungaria contra Solymannum conſtitueretur. Quantum verò & quàm acrem in oppugnanda arce Gothana ſeſe præſtiterit bellatorem, nemini ferè ignotum eſſe putamus. Belgium tandem, Martis officinam, ingreſſus, ac Matthiæ Archiducis Aſtriæ contra Hiſpanos caſtra ſeqvutus, Antverpiæ vitæ hujus amiſit uſuram, annò *Ἰερογολίας* 1583. Sed enim quàm ſtrenuos quoque Generoſiſſ. Comites Schvartzburg. religionis cultusve Dei ſeſe præbuerint fautores atque defenſores, non Episcopi ſaltim & Archiepiſcopi, qui ex hac laudatiſſima familia oriundi: ſed ſplendidiffimi quoque Canonicatus ac Cœnobia, quæ partim & Ipſimet propriis fundarunt ſumptibus, partim etiam ſarta tectaſq; ſummò conſervarunt ſtudiò illiſq; fideliffimum præſtiterunt Patrocinium, luculenter ſanè teſtantur. Inter illos Guntherus eminebat Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Henricus item, Archi-Epiſcopus Bremeniſis & Epiſcopus Monasterienſis, Gerhardus Epiſcopus Herbipolenſis, aliiq; plures, qui Eccleſiis ſuis variâ quidē præfuerunt fortunâ, fidelitate in ſummâ. Virtutes illorum & res fortiter geſtas, quas arctatus pagellarum modulùs vel delibare ſaltem recuſat, videre ſi cui volupe fuerit, conſulat *Albert. Krantzium, Metropol. l. II. c. 7. pag. 296. it. l. 12. § 13. pag. 327. ſeq. Dreſſer. Millenar. ſext. part. 2. p. 124. & Reuſnerum Leorin. in auduar. Βασιλικῶν genealog. p. 40. & ſeq.* qui etiam totum Illuſtriſſimorum horum Comitum delineavit ſtemma: Monasteria v quorùm fundatio unicè adſcribenda illis eſt, præprimis fuiſſe legimus Monasterium Vallis S. Georgii, vulgò *Georgenthal* / Monasterium Monialium, quod Ilmæ eſt, Cœnobium Arnſtadienſe. In Monasterium quoque Jechaburgenſe propè Sondershuſam, & Cellam Paulinam in pago, Longo-patrum dicto jus Patronatùs commiſſum iisdem fuit. quæ cuncta adeò ſincerimè fidei ſuæ habuere commiſſa, ut in illa plurimos ob ſummum erga religionem



nem ardorem impenderent sumtus. Sed disputationi tandem  
huic coronidem imponimus, si unum tn. atque alterum prius  
adjecerimus verbū de CHRISTIANO GUNTHERO, Comi-  
te Generosissimo, haut multis abhinc annis vitā defuncto. Ille  
enim Illustri huic familiæ non parū profectō attulit splen-  
doris. lucis usuram accepit annō 1378. d. ii. Maii. Virtutum,  
a. ejus si cumulum aggredi vellemus, nullam vel dicendi vel  
scribendi inveniremus metam. De *Fortitudine* ut jam profera-  
mō nihil, quā imperterritus ipse expeditioni in Ungaria contra  
Christiani nominis hostem infensissimum, Turcam dicimus,  
ab Imperatore Romano susceptæ sese adjunxit; in ea verō  
quā memorabilia singulari cum laude edidit facinora! Ni-  
hil de *Justitia*, quā ita splendebat, ut neminem læderet, offen-  
deret neminem, omnes verō qui causam deferebant deciden-  
dam, sine ulla *ωροσωποληψία* nunquam non ex æquo judicaret.  
Silentii quoq; sipario lubentes involvimus pietatem, quæ uti  
omnium virtutum censetur fundamentum, fons & origo: ita  
labascente eā labascunt omnia, hâc florente florent vigētq;  
omnia; huic verō adeō sibi incumbendum existimavit, ut  
quasi uni isti sese Divæ consecrâsse fuerit habitus. *Beneficen-*  
*tiam* tamen non præterimus, cujus clarissimos spargebat de-  
se radios, in tantum quidem, ut cū incredibilem erga ege-  
nos, pauperes, Orphanos aliōsq; largissimā exerceret manū  
munificentiam, sermo hic semper in ore versaretur: *succur-*  
*vam egenis, succurrā, quamdiu aliquid fuerit in mea arca.* Sed  
& de *Conjugio* ejusd. dicendum aliquid videtur omninō, cū  
ita in eo vixerit, ut ex Illustrissima Uxore tres ipsos susceperit  
Filios, cunctis virtutibus summum ac laudatissimum Patrem  
referentes, PER-ILLUSTRES COMITES ac DOMINOS, DN.  
CHRISTIANUM GUNTHERUM, qui jam Arnsteti,  
DN. ANTHONIUM GUNTHERUM, qui Sonders-  
husæ, DN. LUDOVICUM GUNTHERUM, qui Ebe-  
lebiæ, hereditarias provincias ingenti laude gubernant, ut  
hinc Patres Patriæ, Nutritores Ecclesiæ, Altores Scholarum,  
subditorum Perfugia, familiæ sempiterna Ornamenta non  
immeritō salutentur. Sicuti verō præclarè Christianus ille  
Gunthe



Guntherus vixit: ita præclare quoque vivendi finem fecit;  
beatè obdormivit anno æræ Christianæ 1642. d. 25. Novemb.

Sed quorsum egredimur? plures tamen adhuc alii ex  
Illustris. hoc stemmate oriundi, recensendi essent. Vetat  
chartæ angustia. Hæc igitur non pro materiæ dignitate, sed  
instituti ratione è latissimo campo leviter delibata sufficiant.  
Quod reliquum est, immortale veneramur atq; oramus Nu-  
men, ut PER-ILLUSTRES COMITES SCHVARTZ-  
BURGICOS, qui adhuc è quatuor S. R. I. Comitibus soli super-  
stites sunt, firmissima Ecclesiæ fulcra & Reipubl. columnas in  
Pylæ Nestoris seram senectam, salvos, incolumes & tranquillos  
clementissimè custodiat, protegat, fervet. Vivat CHRISTIA-  
NUS GUNTHERUS: vivat ANTHONIUS GUNTHERUS:  
vivat LUDOVICUS GUNTHERUS: vivat ALBERTUS  
ANTHONIUS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI:  
vivant! vigeant! annent! perennentq;! Tu verò B. L. si quæ  
forfan deesse hisce putaveris, excusabit nos apud Te illud Sca-  
ligeri:

Nemo unquam unus simul omniaprehendit;  
sed is solus, qui est omnia:

*Cui Laus sit & perennis  
Gloria!*

W. H. 50 01

1077

910





Q. H. 127, 25.

D. F. N.  
DE

# COMIT

*in genere,*  
&  
*in specie*  
DE

# SCHVARTZ CIS E QUATUO

S. R. J.  
DISSERTATA  
*Quam*  
Sub praesidio  
VIRI

*Clarissimi atq; Excel*

## Dn. JOHANNIS GERHARDI, M. Histori

Salanâ Profess. Publ. Patroni, Prae  
sui multis nominibus a viternu

*Ad amicam*  $\sigma\mu\phi\iota\lambda\alpha$   
*Publicè proponit*

## M. JOHANNES HOI Arnstetensi

H.L. 2 C.  
*Ad diem 16. Jun*

J E N A  
Chaarctere SENGENVV  
M DC. LII

